BREVIS INFORMATIO DE JUBILEO

Concesso omnibus Fidelibus,
à Smo. Domino
PAPA.
ALEXANDRO VII.
Ad implorandam opem Diui-
nam contra Turcas.

Anno Domini, 1661.

Ex Mandato
Illustriss: ac Reuerendiss: Domino,
ANDREÆ TRZEBICKI
Episcopi Cracouiensis, Ducis
Seueriæ.
Memoriæ facilioris gratia descripta.

CRACOVIÆ,
In Officina Ioan Pauli Cesari, S R.M & Illustr:
ac Rndis Episc. Crac. Typogr.

Lectori.

QVandoquidem ad placandam Diuinam iracundiam verum remedium est pœnitentia, & Deus ipse qui est Summa bonitas sciendo fragilitatem humanam desiderat salutem nostram, ideo vt faciliori ratione offensam Maiestatem illius reconciliare possimus, inspirauit summo Pontifici, vt aperiret thesaurum ex meritis Christi Domini in Ecclesia Sancta permanentem, & concederet præsens Iubileum.

Ne tardes conuerti ad Dominum, ne differas de die in diem: subito enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

Eccles. 5.

INFORMATIO DE IVBILEO.

Sciendum est primò, Iubileum præsens duraturum spatio duarũ hebdomadarum, Cracouiæ incipiet die 14. Mensis Augusti, finietur 28 die eodem Mense.

2. Non tantum Cracouiæ hoc Iubileum peragetur, sed etiam in tota Diœcesi Cracouiensi, tempore in processu exprimendo.

3. Ecclesiæ tres sunt designatæ, ab Illustriss: ac Rñdmo Domino, Loci ordinario Cracouiæ.

1. Cathedralis in Arce S. STANISLAI.

2. Beatiss: V. MARIÆ in Circulo Parochialis.

3. SS. Petri & Pauli Soc: IESV.

CONDITIONES ad lucrandum Iubileum ſunt iſtæ.

1.

ORare deuotè Deum Saluatorem noſtrũ, in Eccleſijs ſupra deſignatis, ſaltem ſemel viſitando, vt per viſcera miſericordiæ ſuæ Fidem Catholicam protegere, ac defendere; illiuſq; hoſtium conatus, & vires reprimere, ac conterere, Principum Chriſtianorum pacem, & concordiam conſeruare, eorumq́; corda illuminare, & vires ad Chriſtiani nominis tutelam, & exaltationem vnire, augere, & roborare; atq́; omnium noſtrum pijs conatibus opitulari dignetur.

2. *Ieiunare tribus diebus in hebdomada, feria quarta, feria ſexta, & Sabbato.*

3.

3. *Peccata ſua confiteri, ac in die Dominica immediate ſequenti, vel alia die infra eandem hebdomadam, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum reuerenter ſumere.*

4. *Pauperibus aliquas eleemoſynas, prout vnicuique ſuggeret deuotio, vel poſſibilitas, erogare.*

5. *Liberum eſt omnibus eligere Confeſſarium, tam ſecularem quam cuiuſuis Ordinis, & inſtituti Regularem, ex approbatis à Lociordinario, qui quemlibet ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & Cenſuris, à iure, vel ab homine, quàuis cauſa latis, ſeu inflictis; nec non ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis, quantumuis grauibus & enormibus, etiam Locorum Ordinariis, ſiue Papæ, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini, legi ſolitis, contentis,*

quomodocunq; reseruatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum, absoluere, & liberare valeant, iniuncta tamen in supradictis casibus pœnitentia salutari.

6. Vota quæcunq; (Religionis & Castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera commutare possunt Confessarij approbati.

7. Nemini licet super aliqua irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate, quoquo modo contracta, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, etiam in foro conscientiæ, neque à Sede Apostolicâ, vel â Prælato, seu Iudice Ecclesiastico, excommunicatos, suspensos, interdictos, seu alijs Sententijs, & Censuris innodatos, absoluere, nisi infra tempus duarum hebdomadarum, satisfecerint, aut cum partibus concordauerint.

8.

8. *Regularibus personis, vtriusque sexus, in claustris perpetuo degentibus, etiam in carcere, aut captiuitate, existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocunq; impedimento, detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiuerint, potest Confessarius iam approbatus à Loci ordinario in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare, eaq; iniungere, quæ ipsi Pœnitentes efficere possunt.*

9. *Nauigantes, & iter agentes, cum primum ad sua sese Domicilia receperint suprascriptis peractis Conditionibus, plenissimam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, sicut in Anno Iubilei consequentur.*

A. M. D. G.

ORATIONES
Vtiles ac breues,

Quæ in Visitatione trium Ecclesiarum S. Stanislai in Arce, Beatissimæ V. Mariæ in Circulo, S. Petri Soc. IESV, cum deuotione ad consequendum Iubileum recitari possunt.

Exeundo Domo qualibet anima deuota, ad acquirendum thesaurum, tam inæstimabilem, signando se signo Crucis poterit dicere;

PEr Signum Sanctæ Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.

Po-

Postea ad S. Angelum Custodem.

ANgele DEI, qui Custos es mei, me tibi committo.

Eundo per viam, oculos in terram demittat, cor vero suum ad cælum erigat, atque ad maius meritum mentem habeat occupatam aliqua meditatione deuotâ, quam Spiritus S. suggeret aut deuotio, aut dicat Coronam B. MARIÆ Virginis.

Introeundo Ecclesiam S. STANISLAI,

Accipiat aquam benedictam dicendo:

ASperges me Domine hyssopo & mundabor. Lauabis me & super niuem dealbabor.

Dicat etiam.

INtroibo in Domum tuam, adorabo ad templum Sanctum

tuum, & confitebor nomini tuo Domine.

Actum contritionis eliciat.

O DEVS meus vnicum & summum bonum meum, doleo ex sincero corde, quod tuam infinitam bonitatem offenderim peccatis meis, quæ detestor, super omnia mala, & promitto emendationem.

Flexis genibus ante Venerabile Sacramentum dicat.

O Sacrum Conuiuium, in quo CHRISTVS sumitur: recolitur memoria passionis eius: mens impletur gratia: & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Post salutationem Ssimi Sacramenti, considerando præsentes necessitates, cùm affectu dicat.

Dis-

DIssipa gentes, quæ bella volunt, contere brachium prævaricatoris & maligni, parce Domine, parce populo tuo, & veni ad liberandum nos Domine DEVS virtutum.

Deinde ad inuocandum adiutorium S. Stanislai Antiphona.

VIr inclyte STANISLAÆ,
Vita signis passione.
Plebem tuam Pastor bone,
Foue benedictione,
Guberna protectione,
Salua Sanctâ intercessione.

℣. Gloria, & honore, coronasti eum Domine,

℟. Et constituisti eum, super opera manuum tuarum.

ORA-

ORATIO.

DEvs pro cuius honore gloriosus Pontifex STANISLAVS gladijs impiorum occubuit; præsta quæsumus, vt omnes qui eius implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum nostrum IESVM CHRSTVM Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Pro Pace.

Antiphona.

DA Pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. *Factus est in pace locus eius;*
℞. *Et habitatio eius in Sion.*

Ore-

Oremus.

DEVS Regnorum omnium Regumq; Dominator, qui nos & percutiendo ſanas, & ignoſcendo conſeruas, oſtende nobis miſericordiam tuam, vt tranquillitate pacis, tua poteſtate ſeruata, ad remedium correctionis vtamur. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, &c.

Pro extirpatione Hæreſum.

Antiphona.

EXurge Domine iudica cauſam tuam, memor eſto Congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio.

℣. *Eripe me de inimicis, meis Deus meus,*

℟. *Et ab inſurgentibus in me, libera me.*

Oremus.

OMnipotens æterne DEVS, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum; reſpice in auxilium Chriſtianorum, vt gentes quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia, conterantur. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, &c.

Ad Beatisſimæ V. MARIÆ Eccleſiam.

Eundo poterit dicere.

ANgelis ſuis DEVS mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs tuis.

Atq; faciendo de ſe Sacrificium viuum Deo, exemplo Beatiſſimæ Virginis euntis ad Templum Hieroſolimitanum dicat:

Ego

EGo Dilecto meo, & Dilectus meus mihi.

Recitet Coronam Beatissimæ Virginis in via, vel Officium de B. M. Virgine.

Postquam ingressus fuerit Templum, adoratione peracta Venerabili Sacramento, dicat:

SVb tuum præsidium confugimus, Sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias, in necessitatibus, sed à periculis cunctis, libera nos, semper Virgo gloriosa, & benedicta.

Deinde pro necessitatibus præsentibus orando dicat:

MARIA Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

O MA-

O Maria turris Dauid, quæ ædificata es cum propugnaculis, defende nos in prælio. Ad te ſuſpiramus, gementes, & flentes, in hâc lachrymarum valle: Eia ergo Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

℣. *Ora pro nobis S. Dei genitrix;*

℟. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis, ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ Virginis intercesſione, a præſenti liberari triſtitia, & æternâ perfrui lætitia. Per Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum, &c.

Pra

Antiphona.

GAude Virgo MARIA, quæ cunctas Hæreses interemisti, in vniuerso mundo.

℣. *Dignare me laudare, te Virgo sacrata,*

℟. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

Oremus.

COncede misericors DEVS, fragilitati nostræ præsidium, vt qui Sanctæ Dei genitricis, memoriam agimus; intercessionis eius auxilio, â nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Dominum nostrum IESVM Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

PAcem relinquo vobis; pacem meam do vobis dicit Dominus

℣. *Da pacem Domine ſuſtinentibus te;*

℟. *Vt Prophetæ tui fideles inueniantur.*

Oremus.

DEvs â quo Sancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera, da ſeruis tuis, illam quam mundus dare non poteſt pacem, vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine tempora ſint, tuà protectione tranquilla. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, &c.

Viſitando Eccleſiam Sancti Petri.

Accipiendo Aquam benedictam poterit dicere.

AQua benedicta sit nobis salus, & vita, & deleantur nostra delicta. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Postea.

DOmum tuam Domine decet sanctitudo in longitudine dierum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Flectendo genua ante Venerabile Sacramentum dicat:

NE reminiscaris Domine iniquitatum nostrarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ.

Fa-

Facta vna breui & affectu plenâ Oratione, poterit dicere:

Intret Oratio mea in conspectu tuo.

℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Ne tradas animas confitentes tibi,*
℟. *Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.*
℣. *Fiat pax in virtute tua,*
℟. *Et abundantia in turribus tuis.*

Antiphona.

ROgate quæ ad pacem sunt Ierusalem, & abundantia diligentibus te.

℣. *Qui posuit fines tuos pacem,*
℟. *Et adipe frumenti satiat te.*

Oremus.

DEus qui credentes in te populos, nullis sinis concuti terro-

roribus, dignare preces & hostias, dicatæ tibi plebis ſuſcipere, vt pax à tuâ pietate conceſſa, Chriſtianorum fines ab omni hoſte faciat eſſe ſecuros. Per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM Filium tuum, &c.

Pro extirpatione Hæreſum.

Antiphona.

DEvs virtutum, conuertere, reſpice de cælo, expugna impugnantes nos, apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium.

℣. Excita potentiam tuam & veni,
℟. Vt ſaluos faciat nos.

Oremus.

OMnipotens æterne DEVS, qui ſaluas omnes, & neminem

nem

nem vis perire, inſpice ad animas, diabolicâ fraude deceptas, vt omni hæreticâ prauitate depoſitâ, errantium corda reſipiſcant, & ad Maieſtatis tuæ redeant vnitatem. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Pro Concordia Principum Chriſtianorum, Antiphona.

DEt vobis DEVS, idipſum ſapere in alterutrum, vt vnanimes vno ore, honorificetis DEVM noſtrum.

℣. *Liberaſti in brachio tuo populum tuum.*

℟. *Filios Iſrael & Ioſeph.*

Ore-

Oremus.

DEvs largitor pacis, & amator charitatis, da Famulis tuis, Principibus Christianis, vnam, cum tuâ voluntate concordiam, vt ab omnibus, quæ nos pulsant, aduersitatibus liberemur. Per Dominum nostrum IESVM Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in sæcula sæculorum,

Amen.

LITANIÆ
De omnibus Sanctis.

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus S. Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.

San-

Sancta Dei genitrix, Ora.
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Sancte Michäél, Ora.
Sancte Gabriel, Ora.
Sancte Raphäél, Ora.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum Spirituum ordines, Orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptiſta, Ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.
Sancte Petre, Ora.
Sancte Paule, Ora.
Sancte Andrea, Ora.
Sancte Iacobe, Ora.
Sancte Ioannes, Ora.
Sancte Thoma, Ora.
Sancte Iacobe, Ora.
Sancte Philippe, Ora.
Sancte Bartholomæe, Ora.
Sancte Mathæe, Ora.

Sancte Simon, Ora.
Sancte Thadæe, Ora.
Sancte Matthia, Ora.
Sancte Barnaba, Ora.
Sancte Luca, Ora.
Sancte Marce, Ora.
Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ, Orate pro nobis.
Omnes sancti Discipuli Domini, Orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes, Orate pro nobis.
Sancte Stephane, Ora.
Sancte Laurenti, Ora.
Sancte Vincenti, Ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, Orate pro nobis.
Sancti Ioannes & Paule, Orate pro nobis.
Sancti Cosma & Damiane, Orate pro nobis.
Sancti Geruasi & Protasi, Orate pro nobis.
Om-

Omnes ſancti Martyres, Orate pro nobis.
Sancte Siluester, Ora.
Sancte Gregori, Ora.
Sancte Ambroſi, Ora.
Sancte Auguſtine, Ora.
Sancte Hieronyme, Ora.
Sancte Martine, Ora.
Sancte Nicolae, Ora.
Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, Orate pro nobis.
Omnes ſancti Doctores, Orate pro nobis.
Sancte Antoni, Ora.
Sancte Benedicte, Ora.
Sancte Bernarde, Ora.
Sancte Dominice, Ora.
Sancte Franciſce, Ora.
Omnes ſancti Sacerdotes & Leuitæ, Orate pro nobis.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ, Orate pro nobis.

Sancta Maria Magdalena, Ora.
Sancta Agatha, Ora.
Sancta Lucia, Ora.
Sancta Agnes, Ora.
Sancta Cæcilia, Ora.
Sancta Catharina, Ora.
Sancta Anaſtaſia, Ora.
Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera nos Domine.
Ab ira tua, libera nos Domine.
A ſubitanea & improuiſa morte, libera nos Domine.

Ab

Ab insidijs diaboli, libera nos Domine.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera nos Domine.
A spiritu fornicationis, libera nos Domine.
A fulgure & tempestate, libera nos Domine.
A peste, fame, & bello, libera nos Domine.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera nos Domine.
Per aduentum tuum, libera nos Domine.
Per Natiuitatem tuam, libera nos Domine.
Per baptismum & sanctum ieiunium tuum, libera nos Dom.
Per crucem & passionem tuam, libera nos Domine.
Per mortem & sepulturam tuam, libera nos Domine.

Per ſanctam Reſurrectionē tuam, libera nos Domine.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, libera nos Domine.
Per aduentum Spiritus ſancti Paracleti, libera nos Domine.
In die iudicij, libera nos Domine.
Peccatores, Te rogam: audi nos.
Vt nobis parcas, te rogamus audi nos.
Vt nobis indulgeas, te rogamus audi nos.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus audi nos.
Vt Eccleſiam tuam ſanctam regere & conſeruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt domnum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta religione confortare & conſeruare digneris, te rogamus audi nos.

Vt

Vt omnes hæreticos, & inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, te rogamus audi nos.

Vt Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & veram Concordiam donare digneris, te gamus audi nos.

Vt cuncto populo Chriſtiano pacem & vnitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.

Vt noſmetipſos in tuo ſancto ſeruitio confortare & conſeruare digneris, te rogamus audi nos.

Vt mentes noſtras ad cæleſtia deſidera erigas, te rogamus audi nos.

Vt omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.

Vt animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum, ab æterna damnatione

tione eripias, te rogamus audi nos.

Vt fructus terræ dare & conseruare digneris, te rogam: audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos.

Vt nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mũdi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem,*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Saluos fac seruos tuos,*

℟. *Deus meus sperantes in te.*

℣. *Esto nobis Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.*

℣. *Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.*

℟. *Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.*

℣. *Oremus pro Pontifice nostro Alexandro.*

℟. *Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.*

℣. *Oremus pro Benefactoribus nostris.*

℟. *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum vitam æternam.*

℣. *Ore-*

℣. *Oremus pro fidelibus Defunctis.*

℟. *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Pro fratribus nostris absentibus.*

℟. *Saluos fac seruos tuos, Deus meus sperantes in te.*

℣. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto.*

℟. *Et de Syon tuere eos.*

℣. *Domine exaudi orationem meam,*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

DEVS qui culpâ offenderis, pænitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

DEVS omnium fidelium Pastor & Rector; Famulum tuum Alexandrum, quem Pasto-

rem

rem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti; propitius respice; da ei quæsumus verbo, & exemplo, quibus præest proficere; vt ad vitam, vnà cum grege sibi credito, perueniat sempiternam.

DEvs refugium nostrum, & virtus, adesto pijs Ecclesiæ precibus, author ipse pietatis, & presta; vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui tecum viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus: vt pro quibus effūdere preces decreuimus, quosque

que vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti DEVS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Exaudi nos omnipotens & miſericors Dominus, ℟. Amen.